

& erga Parentes reverentia, & obedientia, ad fe unum totum Patris rapuerant affectum. Item illum Isaac, more miraculoso, & secundum repromissionem natum, Christi progenitorem; orbis risum. Hanc talem ac tantam prolem tollere jubetur Abrahamus, ut eam Deo liter; Offeres eum in holocaustum. Ardium sanè præceptum. Itane Pater ipse poterit manu ipsa sua tantum filium trucidare, arrepto gladio? Hoc non Patris, sed carnificis proprium est. In holocaustum offerre jubetur, ut nec corpus, nec pars ulla corporis Patri relinquatur, sed totus Isaac in cineres redigatur, & quasi annihiletur. Vide remotionis pondus; (ait opportunè Origenes Homil. 8. in Genesim) charis, ac dulcibus appellationibus iterum, ac sæpe repetitis paterni suscitatur affectus, ut amoris evigilante memoriâ ad immolandum filium paternâ dextera retardaretur, & ut adversus fidem animi tota carnis malitia repugnaret.

888 Quid igitur Abraham, tot undequaque tamque ingentibus difficultatibus circumdatus quibus paterna ejus viscera torquebantur? O quantus ille cum incipit! Difficillimum est principium cujusvis operis, ut aiebat supra Aristoteles; sed omnibus difficilium initium operis, quod erat Abraham aggressurus. Porro excelso, forti, conflanti, impavidoque animo rem totam initiatur, devoratis & superatis quibusque contrariis. Igitur Abraham (ait Sacer textus) de nocte confurgens stravit asinum suum, ducens secum Isaac filium suum. Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum, ipse vero portabat in manibus ignem, & gladium. Verba hæc auspiciatissimum totius operis principium demonstrant. Nam primò, de nocte surrexit: id est, primo diluculo, summo manè. Festinat implere præceptum, totus ad celerem executionem fertur: non hæret in ipso operis exordio, sed fortiter se gerit. Secundo parat quæ sacrificio erant necessaria tacitus, & sollicitus, Sarâ immolationis filii ignarâ, ne forte obstaculo sit. Tertio ducit secum Isaac filium suum, paternâ manu moriturum; cui ligna portanda imposuit in illius futurum incendium, quasi ab ipsomet operis initio filium incendio comburendum traderet. Quarto propterea ipse Abrahamus gladio & igne armatus incedebat, non moestus, sed magnâ animi alacritate; quam splendide describit S. Zeno Veronenis Sermone 1. de Abraham. Propter excellentem erga Deum charitatem non contristat frontem, nec dolor patri lacrymas persuasit, sed exultat, & gaudet: lætatur hæc jussisse Deum. De filio hostia parabatur festina; denique implere sacrificium, ne mora faciat peccatum, necessariis sacramentis protinus preparatur.

Difficilia omnia superavit, devoravit opus retardantia.

Genes. 22.

S. Zeno.

Abrahamus quia in ipso immolationis initio se fortiter gessit, felicissimum rei exitum habuit, & coronâ donatur.

illum, atque dextrâ elevatâ ictum vibrat ad filii jugulam amputandum. Penè jam per collum pueri immiserat gladium, ut loquitur Sanctus Chrysofostomus Homil. 47. cum ecce ex insperato Angelus Domini ciamat de caelo, & iubet filii cædem, quam subit aries ab Angelo adductus, qui Christi immolandi in eo ipso monte figura fuit. Cernis felicissimum rei totius exitum? Certè ex bono principio non nisi bonus exitus. Sed illa præsertim Dei verba ad Abrahamum signatim premenda: Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, &c. Quid hoc? Filii cædes inhibetur, vivusque ipse perstat, & fecisse rem totam, nec filio pepercisse, dicitur Abrahamus? Ita planè. Dominus laudat justum, quasi sacrificio re ipsa consummato; inquit Chrysofostomus Homil. 47. in Genesim. Consummatum sacrificium appellat, quod nondum fuerat peractum: non enim filius mactatus, sed superstes servatus. Sed quid mirum, cum consummatum appelletur, quod tam felicissimum habuit principium? Nam probum rei initium non solum dimidium totius, sed maxima, sed potissima, sed tota operis pars est, cui omnia insunt, & à quo pendent omnia. Vidisti Patriarcham vel ab ipso operis initio gladium ferentem? Illum planè vidisti tunc etiam victrici coronâ donatû. Ut enim bellissimè Chrysofostomus Homil. 3. in Epist. 1. ad Corinthios; Ille stabat non coronam tenens, sed ense magis quam diademate coronatum. Quasi jam fecisset, quasi jam filium jugulasset, quasi jam opus perfectissimè consummasset; quia in ipso initio se fortiter gessit. Tanta inest bono principio dignitas, & potestas.

890 Huc spectat illud Apocal. 6. v. 2. spectrum à Joanne visum. Et vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret. Sanctus Bruno Sermone 3. de Martyribus, putat in equo albo designari Sanctorum Martyrum exercitum, in quibus Salvator noster sedet, & per quos præliatur. Per arcum & sagittas adumbrari reor publicam ipsorum Martyrum confessionem vel prædicationem in fidei causa. Corona autem est victoriæ symbolum, quæ Christo dicitur imposita, dum Martyribus ipsis imponitur, quia eorum est propugnator cui triumphus debetur. Ut enim Sanctus Cyprianus in Epistola 9. Ipse lucratur in nobis, ipse congregatur, ipse coronat pariter & coronatur. Cæterum quorsum ante victoriam, vel in ipso belli initio, corona, quæ non nisi post reportatum triumphum dari solet? Sanè ad martyrii pugnam exibat generosus ille equitatus. Et quia primo in congressu, sive certaminis principio adeo se fortiter gerunt, ac rem totam strenui impavidoque aggrediuntur, coronâ statim donantur, & exeunt vincentes, ut vincant. Ex bono enim rei principio optimum boni exitus sumitur auspicius; & qui benè incepit, triumphali est coronâ dignus, vel in ipso concertationis exordio. Hoc illud esse videtur, quod Sanctus Cyprianus Epist. 25. in Martyribus designatis commendat. Vos surgentes belli impetus primos immobili robore, atque inconcussa stabilitate fregistis: inde initia pugnandi orta sunt, inde vincendi auspicia coperunt.

Apoc. 6. 2.

S. Bruno.

Martyres quia in ipso operis initio se fortiter gerunt, coronâ donantur, in ipso operis principio.

S. Cyprian.

S. Cyprian.

891 Initiaturi suum certamen martyrii tres illi

Tres pueri Hebraei apud Babylonios, quia benè certaminem aggrediuntur, trophaea absolunt in ipso operis initio.

Auson. S. Chrysof.

Apoc. 6. 2.

illi pueri Hebraei apud Babylonios, sic Regem alloquuntur Daniel 4. v. 17. Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quòd si noluerit, novum sit tibi, Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam auream, quam crexisti, non adoramus. Cernis, quo infracto, impavidoque pectore certamen aggrediuntur? Vides intrepidum ingentis facinoris initium? Certò tibi promittas futurum rei exitum felicissimum. Pro toto enim est prima pars operis, ut aiebat Ausonius. Audi Chrysofostomum in Orat. 3. de Precibus. Hic eis totum trophaeum absolutum est, & simul atque in caminum coniecti sunt, imposita corona, & ab illis verbis texti cepta, etiam ante rerum eventum, quæ ad Regem ducti in medio protulere: Ecce Deus noster, &c. In ipso operis initio totum trophaeum absolutum esse ait, & coronam impositam, etiam ante rerum eventum. Et quidem rectissimè: nam qui benè incipit, in ipso rei exordio potest coronari, cum maximam, cum potissimam, cum difficillimam operis partem, cui reliquæ insunt, fortiter & feliciter fuerit aggressus. Data est ei corona, & exivit vincens, ut vinceret.

SECTIO XXX.

Christus ex Paterno, Maternoque corde procedens, in nobis non nisi cor amat, in corde quiescit, & retinetur.

892 Statuimus supra à num. 345. Christum Dominum ex corde Patris procedere, imò ex corde Matris, quasi divini, humanique cordis prolem. Hinc certum illud esse debet; cordis filium Jesum, cordis amicum esse, & non nisi in corde quiescere, & retineri. Cætera contemnit, si cordis secreta recludantur. Amat amari amoris Deus. Ex corde amandus, & corde retinendus, qui totus ex corde Altissimi, & Mariæ Parentis corde procedit. Ex natura, & pondere suo (nam pondus ejus amor ejus) ad corda fertur: quasi vivere nequeat extra corda. Et enim humanam vitam acturus Dei Filius ex corde Patris procedens, in cor Virgineum descendit, ubi hominem sibi induit. Ut enim pulcherimè Richardus lib. 2. p. 2. Ipsum cor Virginis omnibus creaturis dignum inventum est, exeuntem de corde Paterno primò suscipere unigenitum Dei: quando scilicet cor Patris eructavit Verbum bonum, quod de sinu Patris egrediens, in sinum Matris Virginis se recepit. Rursus, de corde Matris egrediens non nisi corde capitur, & retinetur. Necesse est (ait D. Paschasius in Pl. 44. v. 1.) quod de corde refulsit, ut ibi eum suscipiat sponsa; quia quod de corde procedit, non nisi corde tenetur, vel capitur. Nescit enim divini, & humani cordis filius extra corda vivere, & quiescere; in corda ille solummodò fertur, quasi in requiei suæ sedem, thronum, & centrum.

Christus à corde Patris procedens in cor Virginis descendit. Richard.

S. Paschas.

Deus dicitur cordis Deus.

Agapite. Cordis curia, & p...

radis ubi Heremita in Opusculo de Paradiso, & lege spiritali: Ad cor tuum converte animû & reperies ibi paradisum. Deum, qui cor nostrum tanquàm cælum sibi elegit ad requiescendû, & regnatur non incomitatus, sed Angelicis spiritibus stipatus, & gratiarum ubertate: in corde quippe, ut loquitur D. Macarius Homilia 43. recipiuntur omnia: ibi Deus, ibi Angeli, ibi via & regnum, ibi caelestes urbes, ibi thesauri gratia. Hinc apud Zachariam cap. 2. 5. illud habes: Et gloria ero in medio ejus, Ecclesiae nempe. Ubi medium sumitur pro corde, quia in medio corporis repositum. Pro gloria est Hebraicè cabod, quod significat non solum gloriam, & honorem, sed animam ipsam, cujus præcipua sedes est cor; imò & linguam, & substantiam, atque divitias, rerumque omnium abundantiam. Sicut enim summorum Regum curiæ, Principis ob præsentiam, gloriosæ sunt, & honoratæ, ac rerum omnium felicitate referuntur; sic cor hominis justii, ob Dei præsentiam inhabitantis in eo, uti in curia, & caelesti regno, omnimodâ abundat gloria, honore, felicitate. Verè ibi gloria Dei, & gloriosus apparet Deus; nam ibi tanquam lingua ad cor loquitur, & in corde residet quasi anima in habitaculo suo. Ibi glorificatur, suosque glorificat, ut exponit rectè Dionys. Carthusianus: Glorificabor per lauræ cultum, eroque eis in gloriam, corda ipsorum laudando, & ipsos magnifice exaltando.

S. Macar.

Zach. 2. 5.

1103

Cor Deo in primis offerendum.

Exod. 25. 1.

Exod. 35. 5.

Aurum & argentum cordis Deus querit. Origen.

894 Hinc optima illa offerendi ratio, cum cor nostrum Deo ante omnia offerimus, ut deinde reliqua suum pretium habeant, & honorem. Exod. 25. v. 1. jubens Deus, sibi ut offerant necessaria ad Tabernaculi fabricam; aurum, argentum, æs, hyacinthum, purpuram, byssum, ligna, oleum, aromata, gemmaeque pretiosas; monet in primis Moysem: Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias; ab omni homine, qui offeret ultroneus, accipietis eas. Ex Hebræo efferas: Qui sponte offeret cor suum. Cajetanus verò: Qui sponte volet ipse, cor ejus accipietis. Quasi dicat: Cor in primis offerendum, & accipiendum; nam qui Deo cor non offert, nihil offert, tametsi pretiosa quæque largiatur. Similiter c. 35. 5. Separate apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius, & prono animo offerat eas Domino, aurum & argentum & æs, &c. Origenes Hom. 13. in Exod. sic legit: Sumite à vobis ipsis redemptionem Domino: omnis qui concepit corde, offerat initia Domino, aurum, & argentum, & cætera, &c. Quod latè explicat tropologicè, expendens Deum non aurum quærere, & argentum materiale, sed aurum & argentum cordis, sine quo externa hæc nullius apud Deum sunt pretii. Non vult Moyses (ait Origenes) ut aliquid offeras Deo, quod extra te est, à vobis ipsis, inquit, sumite, & initia offerite Domino, prout unusquisque concepit corde. Aurum jubetur & argentum deferri, & cætera materiae; quomodo possum hoc ego de me ipso offerre? Numquid intra me aurum nascitur, & argentum, & cætera, que jubentur? Fusè expendit, aurum nostri cordis, fidem cordis nostri esse; argentum verò sermonem confessionis; æs autem, fortitudinem cordis, & constantiam. Certè nisi quis Deo in primis offerat pretiosa quæque sui cordis, cætera contemnit Deus, quasi nihil offerat: illa præsertim amat, quæ cordi sunt nobis, si ne quibus reliqua minimè grata sunt.

P. Ildeph. de Flores in Eccles.



895 Ad lyram suam sic concinebat Regius Poeta Psal. 115. 7. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. De sacrificio pacifico in gratiarum actionem, communiter hæc verba accipiuntur; sed S. Basilii præclare illustrat de cordis sacrificio cruentis & Mosaicis hostiis longè gratiori, & innumeris anteponendo holocaustomatibus. Decoram potius laudationem perfecte exolvam, quæ peculiaris mihi superest possessio, meique cordis fetus, ex ipso perinde, atque è quopiam altari illam sacrificabo, è penne mentis nimirum meæ depromptam. Atqui si hoc cordis sacrificium adit in primis, gratia admodum Deo sunt externa sacrificia quadrupedum, volatilium, similaginis, thuris, & thymiamatis; si verò ablit, nihili habentur ab illo, qui apud Isaiam cap. 1. 11. Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? Plenus sum. Et Psalmitam Psal. 49. 9. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, &c. Pulchritudo agri mecum est. Quid verò Deus accipit & aestimat? Subjungit David: Immola Deo sacrificium laudis. Ubi Apollinarius in Catena Danielis Barbari: Hoc existimes sacrificium, acceptorum scilicet beneficiorum census, & confessionem ex corde. Deo itaque fastidio erant, & nauseam movebant externa illa sacrificia absque cordis sacrificio; vacua erant, ac futilla: tunc verò gratissima, & in odorem suavitatis ascendunt, atque adeò severe postulata, cum à cordis sacrificio proficiscerentur. Non igitur fidendum muneribus, sed cordi, quod unum sibi dari exoptat Deus Proverb. 23. 26. Præbe fili mi cor tuum mihi. Unde rectè Clemens Alex. 3. Pædag. cap. 12. Odor suavitatis Deo est cor, quod glorificat eum; hæc sunt coronæ, & sacrificia, & aromata, & flores Dei. De hoc cordis sacrificio si plura exoptas, vide S. August. Tom. 9. Tractatu de 4. Virtut. Charitatis post medium, S. Bernardum Epistola ad quemdam postulantem, quid à nobis requirat Deus? 896 Expende ex Genef. 4. unde admodum gratum Deo Abelis sacrificium, ingrata verò Caini oblatio. Respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus: ad Cain verò, & ad munera illius non respexit. Ex Hebræo veritas priora verba: Delectatus est Deus, accepto tulit, & gratanter accepit Deus Abelis sacrificium, Caini autem recusavit munera. Signum verò, quo Deus declaravit, gratum sibi esse, & acceptare Abelis sacrificium, multi arbitrantur ignem fuisse de cælo demissum, qui oblationem ejus assumpsit. Unde illa Theodotionis interpretatio à S. Hieronymo commendata in Quæst. Hebraicis: Et inflammavit Dominus super Abel, & super sacrificium ejus; super Cain verò, & super sacrificium ejus non inflammavit. Sed quæres, cur Abelis sacrificium tantopere prælatum? cur singulari prærogativâ Deus usus erga Abelem fuit? Multa multi, sed hic unus arridet Rupertus, qui sic fatur: Nam Cain, cum Deo offerret sua, se ipsum sibi retinuerat, repositum habens in cupiditate terrena. Hujusmodi Deus portionem non accipit; sed præbe, inquit, fili cor tuum mihi. At Cain cor suum retinuit sibi, & fructus terræ obtulit Deo. Abel autem primò cor suum, deinde rem suam offerendo, plurimam hostiam obtulit. Vides optimam offerendi rationem eam esse, quâ inprimis Deo cor offertur, deinde munera nostra? Nullius

pretii hæc apud Deum extant, si cor illi negetur: summopere verò approbat, benignè acceptat, & delectatur, si cor ei præbeamus, cujus amicus est, & in quo quiescit, & retinetur. Hinc hostia sine corde reperta, ut contigit Cæsari, Ethnicis fuit ominosa. Lege Pierium lib. 34. de Corde. 897 Cantic. 8. 6. Sponsi illa veba sunt ad dilectam sponsam: Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. Ex communi Interpretum mente, sigillum est hic annulus signatorius, cujus proprius locus extat digitus, quem vocant cordis. Chaldaeus effert: Pone me sicut sculpturam annuli super cor tuum, & sicut sculpturam annuli super brachium tuum. Scholia Græca, circumpone me. Sed quid est, quòd Sponsus exoptet se & cordi, & brachio sponsæ imprimi? Nonne sat erat, si illum tanquam imaginem, & sigillum gestaret in digito cordis? Nequaquam illi factus recideret, si in corde eum non gestaret impressum. Etenim juxta vulgarem Patrum expositionem, externa opera, omnesque agendi potentia, per brachium designantur: per cor autem mentem ipsam, universasque in eligendi & amandi facultates internas. Ut verò divinus Sponsus ostendat, minime sibi gratias esse operationes externas, quæcumque illæ sint, absque cordis oblatione, hanc in primis sibi postulat, & se in corde gestari impressum, ut sigillum, ut annulum cordis signatorium. Charissimus sponsæ haberi vult, assiduus, inseparabilis, unicè dilectus, & super omnia pretiosissimus. Sigillum Christus in corde est (ait Sanctus Ambrosius lib. de Isaac & Anima cap. 8.) ut semper diligamus, in brachio, ut semper operemur: ut si fieri potest, tota ejus species exprimat in nobis. Ipse est signaculum nostrum, quem Pater signavit Deus. Eò igitur præsertim spectat hoc signaculum, ut ponatur, circumponatur, imprimaturque in corde tanquam cordis amicus, ut gratia ei sint opera externa, quæ si eo cordis sigillo non prænuantur, nullius sunt auctoritatis, & pretii. 898 Sanctus Bernardus in Meditationibus, cap. 7. sapienter offendit, cur Deus tantopere exoptet dari sibi cor. Omni sollicitudine, & custodia cor custodire, & tenere debes, ut in illo Deus requiescere possit: In omni namque creatura, quæ sub sole, mundi vanitatibus occupatur, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihil Deo similis reperitur. Quapropter nihil aliud querit à te nisi cor. Ideo cor sibi exoptat Deus, & in illo requiescit; quia nihil est sub cælo corde sublimius, nihil nobilius, nihil Deo similis. Singula expende. In primis nihil sub sole est corde sublimius. Reliqua enim inferiora hæc deprimentur, nosque depriment; unum dumtaxat cor ad sublimia evehit. Inde homini os Est quippe vitali igne accensum, & accensæ lampadi ingeniosè illud comparat Galenus lib. 6. de usu partium cap. 15. Ignis verò alta petit, & ad sublimia evehit. Inde homini os sublime est, à corde sublimi & igneo, ut vel ex ipsa cordis humani natura ediscat homo rectè cælum petere, conculcatis terrestribus. Unde de viro justo ait David Psal. 83. 6. Ascensiones in corde suo disposuit. Hebraicè veritas; semitas altas in corde suo, vel etiam gradus, scalas. Fortè cum intuitu ad scalam Jacobeam, cujus cacumen tangebatur cælum, & cui Deus ipse innitebatur, Genef. 28. vers. 12. Nulla

Cordis sacrificium gratissimum Deo. S. Basil.

Isai. 1. 11. Plal. 49. 9.

Prov. 23. 26. Clemens Alexand.

Genef. Abelis sacrificium Deo gratissimum, quia primò cor suum Deo obtulit, non sic Caini.

Theodotionis.

Rupert.

Cant. 8. 6. Et cordi & brachio Deus imprimendus. Chalda.

Externa actiones Deo gratæ, si adit cordis oblatio.

S. Ambros.

Joan. 6. 27.

S. Bernardi verba de cordis sublimitate expenduntur.

Cor instar ignis ad alta fertur, nosque fert.

Psal. 83. 6.

Scale gradus, & semita cordis.

Nulla

Nihil corde nobilius.

S. Basil.

Aristot.

Pf. 72. 6. Deus formator cordis per antonomastiam.

Pf. 32. 16.

Cordis bulla pro nobilitate nota.

Blesensis.

S. Bernard.

S. Nyffe.

Jer. 17. 9.

Soli Deo corda patent.

Nulla enim est scala corde sublimior, qua possumus cælum pertingere, & Deum ipsum cordis amicum. 899 Rufus, nihil est corde nobilius: nam obinet in corpore principatum. Unde Chrysippus apud Galenum lib. 3. de Hippocratis & Platonis decretis, cor Græcè καρδιά dictum asserit à dominio, & principatu. Quò etiam spectat communis illa Patrum locutio, qui principale cordis dixere. De quo multa legemus apud Benedictum Haestenum in aureo suo libello, cui titulus, Schola cordis, in lib. 1. lectione 4. Occupat ergo cor tanquam pars nobilissima, corporis medium: unde naturalis vitæ primum fontem, & scaturiginem præbet, ita ut omnes gradus vitæ vegetativæ, sensitivæ, & rationalis, ab ipso profuant. Si verò nobilitas eò major censetur ab hominibus, quò longius procedit, & antiquior est; Nam vetus proverbium est, omne fieri per antiquitatem nobilius, ut loquitur Sanctus Basilius in Ser. de Jejunio, certè nihil est inter reliquas corporis partes, corde nobilius, quia nihil est antiquius. Ut enim Aristoteles ait lib. 2. de generat. animal. cap. 4. Fit autem primò cor, idque effici primò non modo sensu percipitur, sed etiam quod per obitum vita hic ultimo deficit. Adde, Deum speciali titulo & ratione, cordis efformatorem esse, & appellari; ut cordis nobilitas in Deum ipsum terminetur. Sic Psal. 72. vers. 26. Deus cordis mei, dicitur à David. Ex Hebræo legas cum multis apud Genebrardum: formator cordis mei. Est enim isur à verbo iatsar, quod significat formare, fingere, plasmare, creare. Unde etiam Psal. 32. vers. 16. De celo respexit Dominus, &c. qui finxit singillatim corda eorum. Singillatim, singulari curâ, & studio corda hominum à Deo facta, plasmata, & creata dicit. Vel singillatim erit, juxta multorum placitum, solus, solitariè, separatim, absque alterius opera, & semotis alius causis, ut speciatim, singulari titulo, ac ratione, Deo rerum omnium conditori deferatur, una humani cordis efformatio, & creatio. His adijunge, olim pro nobilitatis nota bullam, quæ cordis effigiem exprimebat, dari solitam supra pectus demittendam. De quo noster Salazarius ad cap. 3. Proverb. vers. 3. Ad hæc Blesensis lib. 2. Epistola 12. sapienter monet. O cor humanum, cur omnia colis, & te ipsum non colis? Dignitate præcellis, potestate excedis, auctoritate quidquid creatum est, evincis. Nobilitatis tuæ originem quanta sit, ob ignobilem conversationem, non attendunt qui post corpus suum se ponunt. Natales tuos relege, & de quàm spectabili sis genere, recole. Generi tuo maculam servitutis noli irrogare. 900 Denique, nihil est corde Deo similis. Ad imaginem, & similitudinem Dei creatum hominem, claret ex Genef. 1. 26. Sanctus Nyssen in q. Quid sit esse ad imaginem & similitudinem Dei, putat sitam hanc imaginem, & similitudinem in animæ incomprehensibilitate. Quòd verò, ait, percipi, agnosceque non potest, nullius alterius rei est argumentum, quàm illam verè ac propriè incomprehensibilis Dei esse imaginem. Expende modò quid de humano corde sentiat Jeremias cap. 17. vers. 9. Præcorium est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscat illud? Ego Dominus scrutans cor. Non hominis, sed solus Dei est, multas cordis latebras, recessus abditos, & penitissimas cogitationes introspicere, & comprehendere. P. Ildeph. de Flores in Eccles.

Nulli autem alii, sed divina solummodo natura corda hominum patere, attribuit Prophetas, scitè observat Sanctus Cyrillus Alexandr. lib. 2. in S. Cyril. Joan. cap. 33. ad illud Psal. 7. v. 10. Scrutans corda & renes Deus. Ob hanc igitur incomprehensibilitatem concedenda cordi est expressa Dei imago & similitudo, quâ nulla major. Et quidem cum cor dico, animum dico, cujus præcipua sedes est cor ipsum, & à quo cogitationes exeunt, & gradus omnes vitæ fluunt. Licet enim in toto corpore, & in singulis ejus partibus tota anima lit, in corde tamen, veluti in arce quadam, & Regali folio, principem locum habet, & suas exerit vires, ita ut frequenter continens fumatur pro contento, & cordi adscribantur omnes animæ functiones, & facultates; memoria nempe, intellectus, & voluntas, & virtutum omnium exercitium. In corde ergo potissimum præstantia humanæ mentis elucescit, in qua propriè & per se imago & similitudo Dei sunt: atque adeò quæcumque SS. Patres de imagine, & similitudine Dei in animo resplendentibus scribunt, cordi adscribenda. 901 Adde, cor Deo esse quàm simillimum, quia infinitæ quodammodo capacitatis est, & simile, quia non nisi Deo ipso repleti, & satiari potest. Sanctus Macharius Homil. 15. Cor esse infinitæ capacitatis, dixit. Et Sanctus Augustinus in Psal. 41. cor hominis abyssum appellat, quia nihil est profundius. Inde idem Doctor lib. de Symbolo Tract. 4. Ecce Domine, ait Prophetæ, Celi calorum te non capiunt. Et quem non capiunt spatia calorum, capiunt angustia cordis humani. Et Sanctus Bernardus in Declarationibus ad medium: Ad imaginem Dei facta anima rationalis, ceteris omnibus occupari potest, repleti omnino non potest. Capacitatem Dei, quidquid Deo minus est, non implebit. Triangularis est cordis figura; habet enim pyramidis formam, quæ perfectum efficit triangulum. Triangulum nisi triangulari figurâ repleti nequit. Cum autem orbis universus, cælum, astra, & elementa, rotundæ sive sphaericæ figuræ sint, cor trigonum minime adimplere possunt; semper enim in tribus angulis vacuitas apparebit. Sola Trinitas, solus Deus Trinus & Unus, ad instar trianguli, triangulare cor replere poterit. Hinc etiam quidam Philosophus rogatus, quidnam esset minimum inter creata reliqua, & quid maximum; scitè respondit, cor id esse; cum non solum mundum, sed ea, quæ supra mundum sunt, atque adeò res infinitas mente, amore, & affectu complectatur, nec re aliâ nisi Deo repleri, satiarique valeat. S. Bernardi. Triangularis cordis figura non nisi Deo Trino repletur.

SECTIO XXXI.

Verbum Infans sacro silentio venerandum: amoris locutionem solus qui amat, intelligit.

902 Statuimus supra Ser. 4. divinum Verbum, quia homo est, rectè dici ex ore Altissimi produsse ut vocem, ut sermonem submissum, gracilem, & tenuem, atque adeò ut Verbum infans. Modò subjungo, Verbum hoc, seu vocem remissam, ut nostris auribus percipiatur, profundo silentio decorandam, & sacrum illi silentium offerendum, tanquam gratulatorium carmen. Et quorsum Verbum æternum sub silentio se premit (ut loquitur Guarricus Sermone 3. de Annunciatione) nisi